

Alcyonium gelatinosum, Syst. nat. I, 1295. Faun. Suec. 2228. Müll. prodr. 3082.

DESCR. Corpus gelatinosum adnatum explanatum, polymorphum mihi occurrit; interdum, nec semper, eminentiae teretes conspiciuntur.

HABITAT in caulibus vluarum maximarum, praesertim ad radices, frequens satis.

464. ALCYONIVM CYDONIVM.

Alcyonium subrotundum spongiosum, flavum laeue.

Alcyonium Cydonium, Syst. nat. I, 1295.

DESCR. Corpus flavum, porosum, bibulum, foetens, rupibus marinis testaceisque adnatum, non nisi refluxu maris maiori accessibile.

In poris eius *Nereidem prismaticam* et *bifrontem* indagavi.

466. SPONGIA CILIATA.*

Spongia tubulosa, simplex, conico-flexuosa, sursum attenuata in apicem ciliatum.

DESCR. Long. 8 lin. et lat. baseos 3 lin. — Corpus bibulum, album, sericeum, flexuose erectum, teres, basi integra rotundata latiore, sursum sensim angustius apice vix 1 lin. lato; interne cauum, laeue, orificio superiore compresso margine ciliis maioribus erectis ciliato; externe tomentosum. Variat simplex, vel gemella, duabus talibus basi connatis.

HABITAT in vluis maioribus aliisque productis marinis, quibus basi sua fixa est.

467. SPONGIA COMPRESSA.*

Spongia simplex, compresso-conica interne rima longitudinali fissâ.

DESCR.

DESCR. Long. I vnc., lat. 4 lin. — Corpus heluolum, valde compressum, conicum, (s. ellipticum, extremitatibus angustato-rotundatis, superiore tamen angustiore), erectum, subtilissime reticulatum, ex tomentis minutis quasi contextum; externe laeue, sericeum; interne fissura angustissima longitudinali in duas lamellas diuiditur, quae fissura rima supera vix notabili indicatur: reticulatio superficiei internae magis conspicua poris subouatis. Est admodum fragilis, vix enim tacta in puluerem tomentaceum abit.

HABITAT cum antecedente in locis profundis, minus frequens.

468. SPONGIA POCILLVM.

Spongia cylindrica pedicellata, vertice pertuso.

Spongia pocillum, Müll. prodr. 3091.

Huc, ni fallor, pertinet spongia minuta, ($1\frac{1}{3}$ lin. non longior, et fere eiusdem latitudinis ad basin,) semel mihi obuia, quae subconica, teres, basi ampliori, apice pertuso, pocillum referens, albida, subtiliter foraminulata, *Sertulariae reptanti* infidens.

Obs. Praeter memoratas rudimenta Spongiae cruciatim ramosae scandentis albae, compressae, tomentosae, saepe inter ramulos fucorum minorum offendi, sed exemplaribus semper mutilatis hic sepono, forsitan alias *spongia cruciata* Müll. prodr. 3093?

Remota etiam DEVM enunciant.
